



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Vita Et Institutvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XL. Ignatij magna de suis opinio, & in eos amor.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

dabatur optio, vter magis placeret, sed hoc tantum, si mori iuberetur, obediendo libenter moriturum. Huic non absimilis in simili causa Hieronymus Natalis, aliud negavit propendere, nisi vt nullam in partem propenderet.

Præter illam suorum affectuum dominam potestatem, & claram sibi subiectorum perspicentiam; Ignatij gubernationem, duo alia mirè amabilem, & iucundam præstabant, magna de suis Opinio; magnus in illos amor, non personatus, & arte confectus, sed sincerus, & intimè fidus. Nouum prorsus & mirum! persuasisse sibi vnumquemque, in eius benevolentia primas sibi ab eo tribui, vsque ad eò scienter singulis, paternum amorem eiusque argumenta, nulla communis imminutione diuidebat: Nostrorum vero apud illum existimatio, credi vix potest ex illius ore quanta audiretur, de iis enim agebat tanquam hominibus aut metam virtutis eximia affecuris, aut incitato ad eam tendentibus: nec dissidebat à lingua mens, sed concors sermoni, sic planè sentiebat: quam opinionem de suis præclaram fouebat caritas à suspicacitate aliena, nec aurem credulam delationibus aduersis commodans. Contra illam quam malè prudentes politici suadent, suspicionem semper in peius arrectâ, aurèsque patulas quiduis de quolibet garrienti; quod vtrumque ad scopum collineet, quem spectant illorum gubernationes, at si semel in religiosas familias subire cœperit, cessurum profecto est in summam earum perniciem. Præter quam quod enim, datur aditus ingens perperam affectis calumniandi sapius, quam iure accusandi; eæ saltem vmbra, & minus purgata criminationes, suspendunt animum audientis aduersus illos quos ante magnificiebant, plurimumque amabant prius quam eas de ipsis accepissent: ex quo fit, vt omnis postea benevolentia prioris, laudisque significatio, machinamentum videatur arte concinnatum, haud vnquam vero tam simile, quin serius ocyus id tandem deprehendant qui suis in rebus sunt toti oculi. Hinc suspecta videre omnia, in mentis abstrusa sese recipere, auersum premere ab superioribus animum, quo deterius nihil potest inferioribus euenire. Hæc de Ignatio scribens Ludouicus Gonzales; ne Polanco quidem, addit, facile credidisse, sinistri aliquid de aliis referenti, licet pari vir æquitate ac iudicio foret, quam difficultatem malè de aliis opinandi sapientissimam fuisse B. Bernardi sententia ostendit, *Est item vitium, inquit, Eugenium alloquens, cuius*

XL.

*Ignatij magna de suis opinio, & in eos amor.*

*L. 2. de confid.*

*si te immunem sentis, inter omnes quos noui, ex his qui cathedras ascenderunt sedebis me iudice solitarius, quia veraciter singularitè que lenasti te super te, iuxta prophetam, facilitas credulitatis hæc est, cuius callidissima vulpecula magnorum neminem comperi satis cauisse versutias. Inde eis ipsis pro nihilo ira multa, inde innocentium frequens addictio, inde præiudicia in absentes. Verum quia tam potest gubernationi obesse, si nulla penitus excipiat delatio, quam si quælibet indiscriminatim vndeuis admittatur, iubebat frequenter Ignatius, qui ad se aliquid de aliorum erroribus deferrent, quæ scitu & remedio egere crederent, scripto dare; tunc vero maximè si vehementius*

mentius narrando commotiorem animum præferrent, & recti studio ultra modum flagrantem; verba enim, ut stylo quam lingua lentius, sic & consideratius deduci; & sub oculorum censura scribi, non autem efferri. De absentibus vero, procùlque agentibus quos locorum longinquitas, & ignorantia eorum quæ de se scriberentur, à depulsiōne arcebat accusatum, multo iudicabat morosius, præsertim si essent pœna aliqua corrigendi; & fuit cum Roma in Corsicam Sacerdotem è nostris, cautum in paucis, & sagacem transmisit, ut dissimulata persona quasi aliud agens certò indagaret, quæ Patri cuiusdam, mira illic ad Dei gloriam parranti, à mentientibus Catholicum nomen hæreticis obiiciebantur; deformabatur enim eorum literis turbulentus, & seditiosus; quicquid porrò de illo boni, aut secus pernoisset, publicis ad se Primorum auctoritatibus firmatum, referri mandavit. Usque eo in hac re circumspèctus, ut emendandas filiorum, aut plectendas culpas, commissurus aliorum consilio, nollet fieri plures earum conscios, quam qui necessarij ad hoc essent. Itaque duobus leue aliquid erratum cum aperuisset, cui vnus sat esse potuerat; non tulit prius ad aram accedere, quam eam maculam confessione ablueret. Quòd autem alterum, tametsi promeritum, præferre alteri, obnoxium vulgo est inuidiolæ offensionibus, & quorum interest, pro contemptu id dolent; sollicitè cauit, ne quo suo vel dicto vel facto, alterum alteri, doctrinæ, prudentiæ, sanctimonix nomine antepone videretur. Petrum Fabrum singulariter amabat, suum in Christo natu primum, habebatque illum in opinione tantæ sanctitatis, & sapientiæ, quantam poscebat administratio Societatis vniuersæ; ubi tamen fuit in vnum conferenda, ab eo, & quouis alio Sociorum, suffragium suum abstinuit, testatus solum, se illum eligere, in quem, vno se dempto, plurimum vota concurrissent. Marcello etiam secundo petente duos è Societate qui sibi in palatio adessent, ad cleri quam meditabatur statuendam reformationem, ipse eum delectum deliberationi multorum credidit. Ne tamen supplenda officia magnis eorum subsidijs priuaret, quæ percipienda ex iis videbantur, quos ad ea censebat idoneos, condiciones fere ponebat in medio, quas inesse iis oportebat qui postularentur ad tractandum quod vertebatur negotium; erantque omnino eæ solæ quas rei natura exigebat. Quo item ex alia parte consultoribus obliquè eius indicium fiebat, qui esset iis conditionum auxilijs præditus, & tacitè significabatur, optimè consulturos, si nequaquam ab eo in electione discederent. Quamobrem delectus eiusmodi, etsi non decernebat Ignatius, eius tamen opus idcirco erant quod toti ab eo proficiscerentur, secluso tantum querimoniarum amarore, quem parit in filiis, patris nomen commune, inæquali iure inter æquales gestum, dum eorum vnus palam cæteris rector, melior, laudabilior habetur.

XLI.  
Ignatij intus  
erga  
suos amor.

Opinionem hanc suorum præclaram, sequebatur non dispar erga illos amor, quod est alterum è duobus quæ dicebam valdè illustria in Ignatio fuisse,